Fragmentarium

Sed tamen non relinquitur.
Quoniam nos ipsos quod est corpus suum
voluit per se figurare et in illo cor-
pore suo in quo iam et mortuus
est et resurrexit et in caelum ascen-
dit ut quo caput praecessit illuc
se membra secutura confidant.
Ergo nos transfiguravit in se
quando voluit temptari
a Satana. Modo legebatur in
evangelio quia dominus Iesus Christus in
heremo temptabatur a diabolo.
Prorsus Christus temptabatur a dia-
bolo. In Christo enim tu temptabaris
quia Christus de te habebat carnem
de se tibi vitam. De te sibi contu-
melias de se tibi honores.
Ergo de te sibi temptationem de se
tibi victoriam. Si in illo nos temp-
tati sumus in illo nos diabolum
superamus. Adtendis quia Christus
temptatus est et non adtendis quia
vicit? Agnosce te in illo temptatum
et te in illo agnosce vincentem.
Poterat a se diabolum prohibere
sed si non temptaretur tibi temp-
tando vincendi magisterium [illegible]

non praeberet. Itaque nemini [illegible]
si in temptationibus positus iste
clamat a finibus terrae.
Sed quare non vincitur? IN
PETRA EXALTASTI ME.
Iam hic ergo agnoscimus quis
clamat a finibus terrae. Re-
colamus evangelium: super hanc
petram aedificabo ecclesiam meam.
Ergo ille clamat a finibus terrae
quem voluit aedificare supra
petram. Ut autem aedificaretur
ecclesia supra petram quis
factus est petra? Paulum
audi dicentem: petra autem
erat Christus. In illo ergo aedificati
sumus. Propter petram illam
qua aedificati sumus prior
percussa est ventis flumine
pluvia quando Christus a dia-
bolo temptabatur [illegible]
in qua infirmitate [illegible]
stabilire. Merito non
vacat vox nostra sed exauditur.
In magna enim spe positi sumus
in petra et altasti me.
DEDUXISTI ME QUIA FACTUS

ES SPES MEA. Ille enim ut spes
factus [illegible] non [illegible]
ducens [illegible] deducit et quidem
et inducit [illegible]
ad se perducit [illegible] patriam.
Deducit ergo nos. Unde? Quia
factus es spes nostra. Et sic
quomodo audistis quia temp-
tatus est quia passus est
quia resurrexit factus est
spes nostra. Quid enim nobis
dicimus quando haec legimus?
Non enim perdit nos deus propter
quos filium misit temptari
crucifigi mori resurgere.
Non enim vere despicit nos deus
propter quos filio proprio
non pepercit sed pro nobis omni-
bus tradidit eum. Si ergo fac-
tus es spes nostra in illo vides
et laborem nostrum et mercedem
nostram. Laborem in passione
mercedem in resurrectione.
Si ergo factus es spes nostra habe-
mus enim duas vitas unam
in qua sumus alteram quam
speramus [illegible]

[illegible] nobis [illegible] tolerasti [illegible]
exhibebis quia non [illegible]
Quomodo [illegible] tolerares [illegible]
carnis tempore laboribus
suis temptationibus passionibus
morte sua demonstravit tibi
vitam in qua es. Resurrectione
sua demonstravit vitam in qua
eris. Nos enim non noveramus
nisi nasci hominem et mori.
Resurgere hominem et vivere
in aeternum non noveramus.
Suscepit quod noverat et de-
monstravit quod non noverat.
Ideo ergo factus es spes nostra
in tribulationibus in tempta-
tionibus. Vide et apostolum dicentem:
Non solum autem sed et gloriemur
in quid in tribulationibus
scientes quia tribulatio pati-
entiam operatur patientia
probationem probatio spem.
Spes autem non confundit quia
caritas dei diffusa est in cordibus
nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.
Ergo factus es spes nostra qui [illegible]
[illegible] nobis [illegible]

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17
STANDARDGRAPH
No. 9061

License: public_domain – Antwerpen, FelixArchief, 2201 # 7, fol. [1]v-[2]r – Augustinus Aurelius, <i>Enarrationes in Psalmos</i>
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-eokz/8064/63691)